

millibus absorbisse. Quatum vestigia etiam quædam tranquillo mari conspici narrant. Id evenisse etiam in Baltico mari, in historiis eius regionis legimus. Quod et alibi evenire est rationi consonum. Ex hisce ac prioribus illis maris commotionibus, motus alius maris, circa promontoria surgit. Quem nos in mediterraneo navigantes, sæpius vidimus, et nautæ quotidie fere experiuntur, quas vocant correntias, alias simplices, quando iam cessante vento, fluctuque, aquæ impetus ab eo in fluxum commotus, cum eo qui ultra promontorium quietem egerat, luctatur. Alias vero contrarias, quando venti duo, hinc et inde circa promontorium contrarii spiraverint, et in fluxum uterque mare impulerit. Currentia utraque hæc, periculosa ex maris lucta est, sed periculosior secunda. Hi quatuor ventorum motus violenti, pro ventorum instabilitate, sunt incerti omnes. Alii vero stati, vel certis anni temporibus, vel certis annorum intervallis. Priors dicti sunt Etesiæ, quoniam quotannis, certo anni tempore, flant venti quidam, qui mare commovent. Noti fuere antiquitus, et nunc etiam sunt, æstate a ponto in Aegæum flantes venti, usque in Aegyptum pellentes undas. Favonii sunt alii, ab occasu, aut a Coro, qui totum Mediterraneum, ad Syriæ usque littora convoluunt, multosque dies æstate perdurant. Quos nautæ, Provenzas, Ponentales, et Maestrales vocitant. In Oceano, Columbus primus, in littore Lusitanico observavit, ventum quendam statis anni temporibus ab alto flare. Unde coniecturam fecit, eum illinc ab humefacta terra provenire. In qua sententia tam constanter perstitit, ut navigia, orbem notum quæsitus a variis peteret Regibus, et vix impetrarit. Eumque ingenti totius orbis beneficio, ingentique sua gloria adinvenerit. Statæ etiam annuæ sunt, Persici atque Indici maris tempestates, quas nautæ Lusitani, vocant, Motiones. Persicum quidem, dum Sol Australia percurrit signa, fit quotannis tempestosum. Et quando ad Sagittarii finem pervenit ingenti tempestate commovetur. Indicum e contra, dum Persicum agitatur, quiescit. Illo acquiescente ipsum maximas patitur commotiones, præsertim cum Sol Cancrum petit proximum. Sunt et alii maris violenti motus, qui libello de mundo recensentur in hanc sententiam. Strabo namque in hæc verba scribit.

Καὶ γὰρ κατακλεισμοὶ, καὶ σεισμοὶ, καὶ ἀναφυσήματα καὶ ὑποιδήσεις τῆς ὑφάλου γῆς μετεωρίζουσι, καὶ τὴν θάλασσαν, αἱ δὲ συνιζήσης ταπεινοῦσιν, αὐτὴν.

“Etenim diluvia, et terræmotus, flatuum eruptiones, et tumores subiti terræ, qui subest mari, ipsum extollunt, quando vero subsident terræ eadem, mare deprimitur.”

Hoc autem toto mari, ubique locorum fieri potest. Sicuti iam olim magna eius parte, Atlantica illa ingens insula, subsedit tota. Rem hanc eandem testatus est Aristotelis libro de Mundo in hanc sententiam. Fieri in mari quoque hyatus et Chasmata, et recessus locorum, et undarum incursiones sicuti in Helice et Bura contigit, et ignis in mari spiramenta, et fontium emanationes, et fluminum eruptiones et arborum enascentiæ, et fluxus, et vortices, similes iis qui a ventis fiunt, alias in pelago medio, alias in Euripis, et in fretis, multas quoque repulsiones, et elevationes, per Lunæ certa atque ordinata tempora. Et hi omnes inter violentos maris motus sunt connumerandi.

Alia vero sunt Marium turbationes, quæ aliquot annis interpositis recurunt, ut in Narbonensi singulo septennio tempestas maxima regreditur, quam superioris ætatis Veneti nautæ. Mar de baga appellabant. Recentes e Provincia nautæ, et Hispani, observationis annos videntur ommisisse; mare tamen ipsis magna parare naufragia non est oblitum. Hæc omnes maris turbationes, ab externa mari causa sine dubio fiunt, a vi scilicet ventorum. Quare non recte, a quodam nostræ ætatis de maris fluxu scriptore, causa reiecta est in Persici, et Indici maris crassitudinem. Hæc enim nec se ipsam facile, aut multum commovet, nec ventorum rabiam concitat, sed eam sustinere satis habet. Est aliud non annuus, sed horarius maris motus, in Euripis, quem Talanto sin videntur Græci veteres appellasse. Cuius causa in ipso mari esse partim, mari esse externa. Videturque revera is motus mistus quidam, ex naturali atque violento. Sed effectus prius dicendus, causa postea vestiganda. Non in omnibus fretis, aut Euripis is motus fieri videtur. Fretum appellamus inter